tura rerum ſatis ingeniosè petita: diſtribuebat res in varias
classes, in qualibet classe erat certus numerus rerum. Ita me-
ris numeris ſcribebat, citando numerum classis & rei in classe;
adhibitis tamen notis quibusdam flexionum grammaticarum
& orthographicarum. Idem fieret per classes à nobis præ-
ſcriptas fundamentalius, quia in iis fundamentalior digeſtio
eſt. Deinde Athanaſium Kircherum, qui Polygraphiam ſuam
novam & univerſalem dudum promiſit; denique Joh. Joachi-
mũ Becherũ Archiatrũ Moguntinũ, opuſculo primum Franco-
furti Latinè edito, deinde germanicè anno 1661. is requirit ut
conſtruatur Lexicon Latinum, tanquam fundamentum, & in eo
diſponantur voces ordine purè alphabetico (& numerentur;
fiant deinde Lexica) in ſingulis linguis diſpoſitæ non alphabe-
tice, ſed quo ordine Latinæ diſpoſitæ ſunt ipſis reſpondentes.
Scribantur igitur quæ ab omnibus intelligi debent, numeris, &
qui legere vult, is evolvat in lexico ſuo vernaculo vocem dato
numero ſignatam, & ita interpretabitur. Ita ſatis erit legen-
tem vernaculam intelligere & ejus Lexicon evolvere, ſcriben-
tem neceſſe eſt (niſi habeat unum adhuc Lexicon ſuæ linguæ
alphabeticum ad numeros ſe referens) & vernaculam & lati-
nam tenere, & utriusquo lexicon evolvere. Verùm & Hiſpa-
ni illius & Becheri artificium & obvium & impracticabile eſt.
Ob ſynonyma, ob vocum ambiguitatem, ob evolvendi perpe-
tuum tædium (quia numeros nemo unquam memoriæ manda-
90 bit) ob ἑτερογένειαν phraſium in linguis. Verùm conſtitutis
Tabulis vel prædicamentis artis noſtræ complicatoriæ, majo-
ra emergent. Nam Termini primi ex quorum complexu o-
mnes alii conſtituuntur, ſignentur notis, hæ notæ erunt quaſi
alphabetum. Commodum autem erit notas quàm maximè
fieri naturales, v.g. pro uno punctum, pro numeris puncta; pro
relationibus Entis ad Ens lineas, pro variatione angulorum
aut Terminorum in lineis genera relationum. Ea ſi rectè con-
ſtituta fuerint & ingeniosè, ſcriptura hæc univerſalis æquè erit
facilis quàm comunis, & quæ poſſit ſine omni lexico legi, ſimul-
que imbibetur omnium rerum fundamentalis cognitio. Fiet
igitur

igitur omnis talis ſcriptura quaſi figuris geometricis; & velut
picturis, uti olim Aegyptii hodie Sinenſes, verùm eorũ picturæ
nõ reducuntur ad certũ Alphabetũ ſeu literas, quo fit ut incre-
dibili memoriæ afflictione opus ſit, quod hîc contra eſt. Hîc
igitur eſt Uſus XI. complexionum, in conſtituenda nempe po-
lygraphia univerſali. XIImo loco conſtituemus jucundas quas-
dam partim contemplationes, partim praxes ex Schvventeri 91
deliciis Mathematicis & ſupplementis G.P. Harsdörfferi, quem
librum publicè intereſt continuari, hauſtas. P.1. ſect.1. prop.32.
reperitur numerus complexionum ſimpliciter, quem faciunt
res 23. v.g. literæ Alphabeti, nempe 8388607. P.2. ſect. 4. prop.
7. docet dato textu melodias invenire, de quo nos infra, probl.
6. Harsdörfferus Parte ead. ſect.10. prop. 25. refert ingenioſum
repertum Dni de Breiſſac, qua nihil poteſt arti ſcientiarum 92
complicatoriæ accommodatius reperiri. Is quæcunque in re
bellica attendere bonus imperator debet, ita complexus eſt:
facit classes novem, in Ima quæſtiones & circumſtantias, in
IIda, Status, in III. perſonas in IV. actus, in V. fines, in VI. in-
ſtrumenta exemtæ actionis, ſeu quibus uti in noſtra poteſtate
eſt, facere autem ea, non eſt. VII. inſtrumenta quæ & facim 9
& adhibemus. VIII. inſtrumenta quorum uſus conſumtio eſt.
IX. actus finales ſeu proximos executioni, v.g.

1. An.	Cum quo,	Ubi.	Quando.	Quomodo.	Quantum.
2. Bellum.	Pax.	Induciæ.	Colloquium.	Fœdus.	Tranſactio.
3. Patriotæ.	Subditi.	Fœderati.	Clientes.	Neutrales.	Hoſtes.
4. Manere.	Cedere.	Pugnare.	Proficiſci.	Expeditio.	Hyberna.
5. Decus.	Lucrum.	Obedientia.	Honeſtas.	Neceſsitas.	Commoditas.
6. Sol.	Aqua.	Ventus.	Itinera.	Anguſtiæ.	Occaſio.
7. Currus.	Scalæ.	Pontes.	Ligones.	Palæ [Schauffeln]	Naves.
8. Pecunia.	Comeatus.	Pulvis Torm.	Globi Torm.	Equi.	Medicamenta.
9. Excubiæ.	Ordo.	Impreſſio.	Securitas.	Aggreſſio.	Conſilia.